

*ipfas violasse arguamur & ordine ac viâ procedamus, facta resolutione  
ellam primo sub examinis incudem vocabimus:*

**Sitne huic Enthymemati cogito E. Sum honos demonstrationis  
deferendus? Vel clarius:**

**Sitne cogitatio accommodatum medium ad existen-  
tiam sui cogitanti demonstrandam?**

**§. I.**

**A**ntequam autem tractationi ulterius immergamur, Leges bonae methodi exigere videntur, ut simplices quæstionis propositæ terminos, à quorum notitia assensus & dissensus, judicium de veritate ac falsitate dependet, prius, quantum & necessitas postulat & illorum explicatio lucis argumento, in quo versamur afferre potest, expen- damus, ne aliqua latens obscuritas, quæ errorum fœcunda genetrix esse solet, Lectori in penetrandis nostris sensibus negotium faceat.

**§. 2.** Agmen autem ac familiam dicit cogitatio, quæ in propositâ nostrâ quæstione subjecti munere fungitur. Docet autem & occasio hujus controversiæ, materiæ substratæ conditio, ipsa frons dissertationis nostræ, præcipue vero prolixa mentis ac intentionis nostræ declaratio ac totius præfationis series minimè ambiguum relinquit, nos contemplationis nostræ limites in præsenti ultra hominem non extendere, nec de cogitatione in ingenti suâ latitudine ac amplitudine, quâ primò Summo Numini per se & quidem in infinitâ perfectione, Angelis & hominibus, nec non illis creaturis intelligentibus, quæ in virtute Creatoris latent non per se, sed per Summum Numen, non primò, sed posterius, propter dependentiam ab ipso secundum finitos ac commensuratos perfectionis gradus convenit, agere sed tantum de cogitatione humanâ, quæ et si commodissimè ad evitandam istam prolixitatem in volumen excentem, si conceptum communem ac proprium mente evolvere juberemur, quod & præsentis materiæ dilucidatio non desiderat, varios tantummodo ipsius modos assignando possit adumbrari atque hoc modo describi, quod cogitatio sit actus immanens facultatis cognoscendi animæ rationalis (quæ facultas ab animâ ratione quidem, non tamen reapse distinguitur) quo anima rationalis, vel potius homo, (animæ enim corpore laxatae considerationem etiam hujus disputationis cancellis volumus exclusam) aut res simplices, id est res citra